



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

Ianvarius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

## IANVARIVS.



## CIRCVMCISIO DOMINI.

1. Ianuarij.

**O** Ut ego te exosculor diem candidissimum! ô  
 sidus! ô IESV Nomen! Ite jam astrorum ar-  
 bitri, dicite sanè fatalem hanc mihi stellam esse,  
 horoscopum meum esse, ab hâc vitam meam, vitæ  
 Audia,

studia, mortem, omnia dependere. Rectè. Quid-  
 quid igitur agam, IESV auspice agam. Vigilabo?  
 in oculis IESVS erit. Dormiam? IESVM somniabo?  
 Ambulabo? comes IESVS ibit. Sedebo? latus clau-  
 det IESVS. Studebo? IESVS erudiet. Scribam? cala-  
 mum cum manu IESVS ducet, & IESVS IESVM  
 scribet. Orabo? verba IESVS formabit, animabit  
 IESVS. Fessus ero? recreabit IESVS. Esuriam? sitiam?  
 IESVS pascet, ille porabit. Ægrotabo? Amor aderit  
 medicus, IESVS. Moriar? IESV immoriet meo. IES-  
 VS supremis labris natabit, IESVS oculos claudet.  
 IESV sinus mihi tumulus, tumuli inscriptio IESV  
 nomen erit. Sed, heu mihi? mi IESV! Amor meus!  
 quid video? quod si vitæ tuæ aurora tam multo  
 cruore jam rubet; quàm largos imbres sanguinis  
 in sero vitæ vespere dabis, ô Sol meus! Heu ite-  
 rum mihi! ô MARTA! ô Cynthia mea! an palles?  
 dabis eheu! etiam tu hodie pluvias. Et ecce im-  
 bres lacrimatum ex utroque oculorum cælo ruen-  
 tes. Time peccans adolescentia, tute hanc tem-  
 pestatem dedisti. Cur enim hodie jam ad sangui-  
 dem irerur, nisi sceleribus tu quoque fores ob-  
 noxia. Ecce die octavo jam sævit culter tuus verè  
 faxeus! Sed disce ad infanda scelera, disce à cultro  
 tuo erubescere. Disce vulnera agnoscere tua. Si  
 nescis, ibi vulnus est, ubi emplastrum est.

*Si tentaris à Diabolo si ab omnibus hominibus  
 opprimeris, si conficeris aegritudine, si doloribus fa-  
 tigaris, si desperationis agitaris spiritu, nomen IESV  
 edicito. Iustinian. serm. de Circumcis.*

S. BASILIVS MAGNVS 1. Ian.

**M**agnum esse BASILIVM ad ardentis columnæ  
 facem D. Ephrem vidit. Magnum deinde  
 A 4 osten-

ostendit *Christus* ipse, dum, sacris operanti adesse spectabilis, cum sancto Duodecimviro- rum cælestium senatu voluit. Sed & talem Hebræus non nemo credidit, cui profano adhuc, sacræ tamen mensæ accumbenti, cum minimo in orbe magnum *Virginis Filium* è manu suâ propinasset, manus & ipse dedit. Magnum demum senserunt è maximis tyrannis duo. Horum alter Iulianus (is qui turpe sibi apostatæ nomen peperit) orante contra se BASILIO, sententiam ferente Deipatâ *Virgine*, exequente D. Mercurio, orbi pœnas perfidie, quas meruit, dedit. Non felicior alter Valens, exilium Diuo nostro nequicquam semel iterumque intavavit. Nam sententiam impiam ferre jam cogitanti, ipsum iustius iudice suo tribunal reclamavit, sellâ diffractâ; & subscribere laboranti, penna atramentum, quod habuit, tertium negavit: ipsa manus facere officium noluit; certè ut non posset, exaruit; conjunx filiusque ægri ad cogitatum scelus nolentes etiam ingemuerunt. Et filius quidem à magnâ BASILII manu convaluit. Cui cum Valens pessimos superinduxisset medicos Arianos, filius continuò malè mortuus est. At bene noster, sub annum Christi CCC. LXXVII. vixit BASILIUS; vel hoc uno magnus magnique faciendus Parthenijs Sodalibus, quod virgo vixit. *Ex Suario.*

*Ve tradentibus Christum ad crucifigendum; sed, ve cum maligna conscientia sub Sacramento sumantibus illum. S. Remig. Super Matth.*

S. O D I L O A B B A S.

I. Ianuarij.

**P**VER ODILLO in D. VIRGINIS perreptavit claudus, exivit sanus; & cum ire jam quò vellet, posset, pulchrè: pedibus, quos cælum donavit, usus.

usus, è mundo abiit, & Religiosam domum inijt.  
 Subinde Præfatus Asceterio Cluniacensi, ostendit, quàm facile imitari Christi miracula foret illi, qui vitam veller. Aquas quippe eunti sibi in solum, alijs etiam in vinum vertit, piscibusque non multis bene multam pavit multitudinem. inter primas curas habuit, piorum Manibus opitulari, quos flammæ piaculares haberent. Id adeò factus ipse est orci tortor, quem Siculæ quispiam eremici incola non semel querentem audiit atque indignantem innumeros à pœnis suis ODILEONIS absolvi precibus. Eos inter Benedictum numerant VIII. Pont. Max. qui opem & ipse viii imploravit, & verò sensit etiam, ac gratus palàm laudavit. Atque hoc stimulos subdidit ODILEONI, ut sui quotannis diem agerent piarum animarum memoriâ insignem, quod institutum id temporis uni illi familiæ familiarare totus hodie Christianus orbis amplectitur. ODILEONI nostro morienti præsto ipse Christus fuit, Stygialque larvas cum suis terribilamentis longè iussit facessere. Nimirum quam opem mortuis vivi ferimus, morituri & ipse sentimus. Ex

Surio.

*Disce humilitatem, quâ Christus verbo docuit & exemplo; disce obedientiam, quam patri suo exhibuit & Matri; disce virtutes ceteras, ut vitæ lumen in te valeas possidere; Christum sequere, Christum imitare, ut ad ipsum pervenias. B. Laur. Iust. de interiore conflictu.*

S. MACARIUS ALEXANDER.

2 Ianuarij.

**H**VNC MACARIVM nomine suo Alexandria  
 Hinc fallor, suo ille Alexandriam beavit.

VII.

VII. annis sine cocto edulio, sine omni somno dies XX. quadragintadiale jejunium sine omni cibo transegit. Satur interea cæli delicijs, & pijs nunquam non lacrimis ebrius. Inter hæc Cupidinem bella sibi moventem aggressus, culicum præsidio corpus cinxit; quos inter cum sex aded menses nudus decertasset, horum aculeis longè hostem submovit. Quid multis? brevi tam parvo milite ingentem, & formidandum tyrannum debellavit. Pœnitentem Sacerdotem à sacrilegâ Venere, & qui in pœnam afflicti corpore serpebat, cancro eâ lege absolvit, ut ne porrò sacrificaret impûrus. Nec in homines solum pius, cæcum feræ, nescio cuius, partum sputo suo illitum lumine donavit, oviculæ exuvijs à gratâ parente vicissim donatus. Inter precandum ita se ipsum fertur adhortatus: *Anime mi, ne te in terras è calo demitte: ibi Deum. & cum Dea Dei aulam omnem habes.* Viderat nimirum quandoq;, quàm multiplici dolo astuq; turbare precantium animos malus hostis niteretur. Ob hæc aliaque ejuscemodi prædicantibus verè MACARIUM, hoc est beatum, ut qui mundo tam bellè illuderet, illud responsi dedit, caverent, ne ipsis mundus illuderet. Vivere porrò desit, cum annum ageret centesimum, & documento sanè fuit mortalibus, frugalitate & vitæ religiosæ asperitate non minui annos, sed crescere. *Ex vit. PP.*

*Quæ segnities est, capi ineptis cogitationibus, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quòd cum Deo loquaris: Quomodo te audiri à Deo postulas, cum te ipse non audias? S. Cyprian. de Orat. Dom.*

S. GORDIVS MARTYR. 3. Ianuarij.

**P**otuisses olim cretum campanum dicere Martium, unde illi prodirent, qui bella orbi, qui tyrannis moverent. Ita GORDIVS etiam noster è nobili militum tribuno Christi tiro, ubi sat diu in antro ad eremi leges exercuisse velut ad palum se, & piæ militiæ satis præluisse jam visus sibi est; progressus demum festo die in medium theatri, falluque CHRISTI se militem, corpus frustratim concidendum carnifici obtulit: id unum exoptans, plures animas habere, ut plures per mortes Duci Deo invictum se probaret. Scilicet ad insolitum hoc spectaculum exclamârunt Christiani pariter, & hostes horum. Et obstupere hi, quòd unius hominis virtus totum theatrum impleret. At illi Deo, Gordio, sibi que gratulati sunt, cum viderent tot inter certantes quadrigas longè omnes equos ad palmam præcurrere Christianum, jamque hunc unum illo die ex merito coronandum animo perciperent. Interea GORDIVS monentibus amicis, qui servatum cupiebant, ore CHRISTVM suum tantisper prosciberet, animo coleret; *ita ne verò, aiebat omnem militibus aditum ad calos præcluditis? Me quidè Longinos & Cornelios juvat amulari. Christum vobis coram si negem, celo coram ille negabit.* Hæc ubi dixit, crucis signo armatus omnes cruciatus imperterrito & animo & vultu superavit, ostenditque, quæ militi honestissima essent vulnera. *Ex Surio.*

*Quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi. Ideo Paulus aiebat. Sic currite, ut comprehendatis. Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusq; metam, ubi Christus posuit suam. S. Bern. Ep. 253.*

S. G E N O

## S. GENOVEFA VIRGO. 3. Ianuarij.

**N**on ego GENOVEFAM laudem, cum vel parentes ejus, quod talem genuissent, B. Germanus laudavit. Transibat hic Lutetiam Parisiorum in Britannias Pelagianos oppugnaturus, cum GENOVEFAM parvulam tunc puellam intuitus, latere in ea ingentem virtutem vidit. Itaque blandissimis verbis vitæ religiosæ studium tenellæ suavit. At illa jam tunc annuit. Ergo mnemosynon capit nummum Cruce insignem, jubeturque è collo suspendere, nullo dehinc muliebri mundo temerando. Arrha fuit hic nummus Christi sponsæ, neque fefellit. Noluit deinceps parvula domi agere, sed sui officii identidem clamitabat esse, templum frequentare. Quare fuit, cum lacrimis suis molestantam & clamoribus mater alapa castigaret. At continuo cæca facinus suum vidit. Lucem deinde biennio post à filiâ, cui dederat lucem, recepit. Cæterum hæc velo inter virgines involuta Parisiensibus contra omnes Attilæ exercitus unicum præsidium fuit. Cibum non nisi bis in hebdomada, vinum virginittatis venenum nunquam admisit. Quoties cælum aspexit, hoc gaudiis, illa lacrimis plerumque visa. Virtutem in absente Simeon Stylites laudavit, & sæpiusculè salutavit per nuntios. Apud Reges quoque Childericum & Clodoveum tantum potuit, ut à morte virgo absolveret, quos iudices damnarant. Sed patum hoc est, quando idem apud DEVM. potuit, & lectulo damnatos ægros passim à morbis absolvit. Quidquid quem abstulerat jam, imperio GENOVEFÆ puerum mors reddidit, credo urne decesset, qui virginem Matrem clamaret. *Ex Sur. & Lippel.*

Pez.



Per Baptismatis Sacramentum Spiritus S. factus es templum: noli tantum habitorem pravis de te actibus effugare, & Diaboli te iterum subijcere seruituti, quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te iudicabit, qui misericorditer te redemit. S. Leo serm. I. de Nat. Chr.

S. RIGOBERTVS. EP. 4. Ianuarij.

**D**iscite, qui alienam nobilitatem non aliter ac hereditatem aditis, amplius etiam vestram operam hanc condecorare; imò domi vestræ hoc est, apud animum vestrum veram nobilitatem quærere.

Nos eâ in re doctorem ecce vobis RIGOBERTVM suggerimus: hic gentis suæ splendorem literis, literas pietate illustravit: hanc Rhemenses insulam ornarunt: ille iterum hanc multis magnisque virtutibus, velut gemmis distinxit. Sacerdotes primus id loci in unum coegit, reditusque, de quibus viverent, communes fecit. Familiariter Magistro equitum Pipino est usus, qui xeniolis, quæ Divus redeunti à venatione missitabat, multum delectatus terræ tantum aliquando concessit, quantum RIGOBERTVS, dum ipse dormiret, ambulando potuit circumscribere. Ab eo tempore nusquam alibi vel campi, vel agri lætius ridere, ridentibus nusquam mitius cælum arridere; Aurea tempora & æternum ver diceres. Sed & filium Pipini Carolum (ab animo Martio Martellum post dictum) sacra fontis adinovit RIGOBERTVS. At Carolus ingratus, quod urbem Rhensem dolo aggressus non admittus esset, apertâ vi post fratrem debellatum ingressus, Pontificæ sedē exegit. Tulit æquo animo exilium, nec multò post ad Pipini dona reversus, vitam sanctissimè exegit. Ad tumultu nocte

concubiã lux ingens visa, & voces è cælo auditæ, multùm humanã suaviores. At nos si nunquam has audimus, quid miri obsecro est, quando cælo aures claudimus? *Ex Suario.*

*Si tibi suggeratur in futurum tempus differre bonum propositum, consurge & dic. Dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet. Si gula deserviens lautiores tibi commendaverit apparatus recalcitra & dic. Non est Dei Regnum esca & potus. S. Petrus Dam. in Pl. 57.*

S. SIMEON STYLITA. *J. Januarij.*

**E**Rubescit hoc die Ægyptus, cum in tam parvã chartã sepeliri superbas moles suas videt. Quid enim? ut mortuos suos, quã posset in cælum extolleret, surgere eò velut gloriæ humanæ scalas Pyramides jussit. At tu Lector, vide sis hoc die illum, qui vivus cælo jam cohabitavit, vivus Pyramides sibi quatuor posuit, invidiam non Ægypto modò, sed orco etiam facturas. Itaque SIMEON opilio primùm, post præaltã in rupe monachos inter Angelus vixit. Verùm cum ob mira, quæ maxima ac plurima patrabat, magni undique accessus fierent, novo miraculo columnas cœpit habitare, quarum quarta, & quæ ei ultima fuit, alta erat pedes IV. & L. Hic ille stare columna suã firmior; dormire, aut confidere nunquam; vix adeò unquam quid cibi capere, ea & agere & pati, ut hominem dubitarint; Regibus denique, ac Imperatoribus, imò orbi ad se confluenti vel oraculum esse, vel asylon. Indoluit hostis, & dolis, quos domi suæ habet, usus, in flammantem currum non jam SIMEONEM, sed alterum Eliam invitavit. Nec male profectò cessit astus. Verùm, cum altero pede jam extenso, sacrum Crucis signum efformasset.

in ventos scilicet & orcum, non in cælos, cum pessimo aurigâ abivit currus. At SIMEON, ut eadem poenâ & se, & hostem ultum iret, uno, ut erat tum, pede, annum solidum perstitit. Mortuus est deinde anno ab orbe restaurato CDLX. etatis CIX. atque, ut vicisse scires, etiam post mortem stetit, *Ex Surio.*

*Quid anima prodest, hesternum diem transgisse in actione virtutis, si hodie velut desertor desceveris ab opere justitia? Qualem enim te invenero, ait Scriptura, talem te judicabo.* S. Basil. in Epist.

S. APOLLINARIS V. 5. Januarij

**E**Vnuchum specta; sed apage illum Parnassi ruborem: hunc, quem dicimus, virginitas dedit, cælum risit, vel, si mavis lacrimas, has quoque affudit cum suis ridenda Venus, Sed nunc argumentum fabulæ habe. Fuit APOLLINARIS altera Anthemii viri Consularis F. alteram dæmon malus infidebat. Illa Christum sponsum cogitabat, at hominem parentes. Quid nî etiam sanctus amor hominum oculos luderet ingeniosus? Abit Ierofolymam cum nobilissimorum parentum ventâ APOLLINARIS; comites servulos, ancillas, opes trahit. Redux ex itinere has omnes in egenos spargit, illos manu mittit, uno alterove duntaxat retento. Hos quoque piè fallit, & silvas habitat. jam ubi æstus culicumque morsus corpus animumque durarunt, & formam illam augustam extrinxerunt, prodit è latebris monachum induta, Eunuchum se dicit, Dorotheum apud Macarium nominat. Interea adest soror, & è sorore pellendus dæmon. Pellitur à Dorotheo. Sed redit & præstigiis gravidam filiam Anthemii oculis exhibet, simul parentem Dorotheum mentitur. Ilicet  
hic

hic ad patrem raptatur, inde ad crucem raptandus. At Dorotheus parentibus, & sorore in locum solum abductis, hanc iterum sanat, illis, positâ tantisper personâ, filiam se probat. Mox ad scenam suam revertens eremum, pergit monachos, orbem, orbem ludere; dum denique cum omnium plausu castissimam latvam mors detraxit. *Ex Str. & Men.*

*Indicamus bella peccatis, conflictum vitis nunciemus, securi de victoria; quia nec arma caelestia hostes poterunt superare terreni, nec divino Regi adversa poterunt contraire mundana; neque u gilantes & sobrios Diabolus perturbare suis superventibus poterit. S. Pet. Chryf. f. 12.*

## S. EDVARDVS REX. 5. Ianuarij.

**E**DVARDVM in utero adhuc latitantem fortuna tamen Angliæ Regem legit: firmavit electionem cælum: siquidem in Regem unctus ab ipso Apostolorum Principe memoratur. Conjugio porrò, ad quod invitum regni Proceres traxerunt, virginitatem copulavit, pulcherrimo matrimonio. Pater Pauperum, filius dici poterat summi Pontificis, ita hunc semper coluit: tributa liberaliter remisit, postquam iis incubare custodé orci Cerberum vidit. Iam nec ad vilis mendiculi postulata erubuit, qui membris suis captus promissam à D. Petro sanitatem asseverabat, si bajulo ad templum Rege uteretur: quin mox in humeros sustulit pium onus, ad aram portavit, stipemque divitem sanitatem addidit. Sed & cæci nonnulli, quâ undâ manus Rex laverat, hac oculis ipsi tenebras eluerunt. Facienti Sacerdoti cum adesset, conspicuus ei ab arâ bene precatus est Christus. *Quid-*

Quidvis amore D. Ioannis, quem Evangelistam dicimus, rogantibus, nihil visus est unquam negasse. Hanc ille religionem præclare obsignavit annulo suo, dum eum ipsi Divo mendicabulum adsimulanti dono dedit. Hic annulum Regi remisit, simul de mortis horâ commonuit; quem nuncium ille toto mox regno vulgavit, quò preces undiq; piorum cogeret. Atque eo viatico, quamvis suis jam dives meritis, longum cæli iter ingressus est, anno post Virginis patrum M. LXVI. & quia nullam corpus animo virgini in vitâ, mors diu nullam etiam corpori in tumulto labem asperfit.

*Ex Surio.*

*Studeant humiles quotidie in humilitatis virtute proficere, imitantes Regem, qui abjecto onere carnalium & regalium, indumentorum coram Domino arca nudatus exiliens & exultans uxori sibi objicienti respondit, Ludam, & vilior fiam coram Domino. B. Laur. Iust. lib. 1. de Humilitate.*

EPIPHANIA DOMINI. 6. Ianuarij.

**S**alutaverant jam nuper, inter faustas acclamationes, & cantus festivos Principem suum cælo delapsi cives, aulamque nati Regis quotidie deinceps frequentabant. Sed, & orcus rebellis hucusq; metu jam suo venerabatur. feræ ipsæ Dominum suum supplices agnoverant; ut jam aliud nil restaret, quam ut terra etiam officium suum faceret. Ergo, ut ad exemplum Regum orbis universus se componeret, tres è regnis suis exciti Magi magnis itinibus Berhlemium contendunt, sacramentum Christo nato omnium nomine dicturi. Atque, ut ne aberrarent, placuit Superis ducem stellam dare, & fallere, & falli nesciam. Ita Hierolosymam  
ventum.

ventum, seduloque in novi Regis cunabula inquisitum. At Herodes in regno suo alium præter se Regem ullum quæri indignatus, barbara animo jam tum concepit consilia, mox sanguinem, neces, orbasque matres paritura. Aulicis tamen artibus apprimè instructus dolos dolis texit, & ut noceret, amare se finxit, ut perimeret adoraturum se hostem etiam ipse promisit. Sub hæc à Magis, fidere iterum anteambulone, Bethlemium perventum. Ibi confidens stella, velut adventum gratulatura, hospites Reges è tecto salutavit. Extemplò ingrediuntur, Regumque Regem in throno suo præsepi, sapientiam in infante, in homine Deum adorant: addunt deinde tributa, opes peregrinas, aurum, thus, myrrham. Inde viam aliam in regna avita dux somnus dormientibus ostendit: sed sic idem hic vigilantem Herodem delusit. *Ex hist. Evang.*

*Sicut Magi de thesauris suis Mysticas Domino munerum species obtulerunt, ita & nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna, promamus. S. Leo s. 2. de Epiph.*

#### S. ANDREAS CORSINVS.

6. Ianuarij.

**A**NDREAM CORSINVM parentibus MAGNA VIRGO donavit, cum illi priùs eundem ex voto necdum natum eidem donassent. Videbatur sibi mater utero lupum ferre, sed qui in æde sacrâ gratissimâ metamorphosi in oviculam abiret. Oraculum fuit non somnium. CORSINVS etenim adolescens nonnihil liberior aliquamdiu cum mundo ululavit, post tamen gravibus ac assiduis parentis suæ monitis captus, religiosæ vitæ se mancipavit: à quâ necquidquam eum abducere adnatus est veterator callidus, quamvis nobilem mentitus

mentitus vultum, quamvis opulentum oppidò conjugium pollicitus. Primum litanti augustissima cæli Regina visenda se cum Angelis obtulit, atque his eum affata est verbis: *Meam servies servitute, ad hanc à me delectus.* Posthac Præsul nominatus Fesulanus, cum fugâ se honori subduxisset, ab infante tum fante est proditus. Puer, nescio quis, cum sacro fonte tingeretur, Andreas lacrimas frequentes affudit: rogatus causam, respondit, puerum eum familiæ suæ probro, patriæ exitio natum; id quod reapse postea urbs credidit, cum vidit. Cum annum deinde ageret lxxi. ipso Christi nascentis pervigilio egregius servus à Domina suâ vocatus ad libertatem est. Mortuum virgo sanctitatis famâ percelebris, per scalas vidit cælum conscendere; puto ne ullus Virginis amator dubitet eodem conniti, quando scalas habet. *Ex Surio.*

*In Ecclesiam ingredi, ubi Christus discumbit, tuumq; præstolatur adventum, atque in spiritu humilitatis pedibus provolvere Domini Iesu; confitere scelera, deterge vulnera, reatum accusa, sponde conversionem, pete veniam, ut plenam consequaris indulgentiam.* Laur. Iust. in. sermonib.

## S. LVCIANVS M. 7. Iannuarij.

**P**ossumus hodie ignoscere Samosatæ, quando maximum probum ingenti decore obruit, & LVCIANVM dedit, qui non jam rideret cælum, sed moreretur pro cælo. Duodennis puer poterat tamen pater dici, cum hereditatem paternam jam tunc pauperum prædam fecisset. Mox inter cœnobitas adscriptus, & Sacerdotio initiatus, Antiochiæ

iochiæ ludum literarium aperuit. Minerval pauperibus cessit, libros Christianos restituit, & sacra volumina, quæ dudum supersticio corruerat, ad Hebrææ linguæ regulam censuit. Sed Maximianus non nescius pietatem Christianam non posse rectius quàm cum musarum lacte, literis inquam, instillari, ad pœnas magistrum tam sancti ludi vocat; quòd tamen vel vultus majestate meliora persuadere LVCIANVS diceretur, non nisi velatis oculis huic impius Agamemnon locutus est. Promissis primò ingentibus in martyrem pugnavit, tum in cippum iniecit, post in testarum fragmina. Ultimò fame longâ ad deditionem compellere est aggressas. Intereâ sacrificare constituit LVCIANVS. Mirantibus, quò id fieri posset, discipulis, cum aræ mensa abesset, Vos, inquit, in orbem me cingite, & templum eritis; sacra deinde pectori meo imponite; erit hæc viva ara. Dixit, fecit. Mox ad ingressos tortores ter clamat, *Christianus sum*, & subinde mortuus tacet. Funus nihilominus in mare projectum, saxo dexteræ appenso. Verùm truncum primò Delphin, semper hominum, sed martyrum præcipuè amans in litusextulit. Mox dextra etiam (à Musis credo) efferi, brachioque jungi visa est. Nos etiam manum tam doctam pro meritis lauderemus, si ad nos Musæ manus illius stylum attulissent. *Surius.*

*Corpora nostra aptemus in vivam Dei hostiam, ut sit fides vera, pura conscientia, cor mundum, caro casta, sanctus sensus, pius animus, vita sancta, verecundus habitus, & ad omne Christi obsequium humilitas; nostrum semper comitetur incessum.* S. Pet. Chryf. h. 109.

S. RAY.



## S. RAYMVNDVS CONF.

7. Ianuarij.

**R**AYMVNDVS nobili loco in Hispaniâ natus, cum lacte MARIAM imbibit. Ea deinde pietas cum puero crevit. Nam & in mundo adhuc cum ageret, sumptus non exiguos fecit, quo festus VIRGINIS ab Angelo Salutatae dies augustius ageretur, & postea in D. Dominici familiam coopertus, ipsius DIVÆ monitu novæ societatis auctor fuit condendæ, quæ vindicandis in libertatem vinculis sese impenderet. Angelo, qui ei à puero datus est peculiaris, tam est usus familiariter, ut non raro ad statas ab eo preces excitaretur. Ceterum cum pro eâ, quâ erat, Christianâ libertate, in non licitos Iacobi Aragonum regis amores gravius nequicquam invecus esset, & ex nautis regio edicto absterritis recipere eum jam nemo in navim suam vellet; novus nauta nova vela mari suspendit pallium suum, aspirante cælesti aurâ sex intra horas milliaria emensus c. l. x. & Barcinonem appulsus, in cœnobium ad suos per occlusam portam ingressus est. Ibi cum è sociis unus aliquis gravibus tentationum fluctibus jactaretur, ubi primum in manu litantis RAYMVNDI propitium illud sedus est intuitus, continuò suam menti redi malaciam sensit. Argonauta verò noster portum cælestem tenuit anno. M. CC. LXXV. *Ex vitâ apud Bzov*

*Si nobis non est satis ad salutem, quòd virtuosè vivamus, sed oportet aliorum salutem re ipsâ desiderare; cum neque nos rectè vivamus, neque alios hortemur, quid respondebimus; quæ nobis spes salutis reliqua erit? S. Chrysost. 60. in Matth.*

S. LAV.

## S. LAURENTIUS IVSTINIANVS.

8. Ianuarij.

**A**Nnum agenti IVSTINIANO decimū nonum induit virginē Divina Sapientia amplexum tulit, & osculum. Ab eo tempore omnis illi mundus desipere, vna sapere religio. Ad hanc cum se recepisset, fuit qui, cum familiaritate (quæ ei cum LAURENTIO intima erat) destitutum se indignè ferret, ad septa monasterii cum totâ acie sodalium veniret: cornu unum citharædi, alterum armati tenebant. Sed utrumque perripit LAURENTIUS, captumque verbis Sodalem in sua jurare verba, manusque dare religioni coëgit, plaudentibus utique Superis, quod jam Theseus Pirithoum suum, non ad orcum, sed cælum comitaretur. Post tamen LAURENTIUS ad insulam extractus, pater pauperum, & hostis superborum audit, mirandaque egit plurima. In ore illud crebrò habuit: *Eam demum esse veram sapientiam, scire Deum omnia esse, at nihil hominem, & illud: calo excludendos omnes fore opulentos, nisi ejus janitores pauperes piâ manu corrumpent.* Ego palmarium id puto: perituras Venetias fuisse, pessimo Sodomorum exemplo, nisi potentior apud Deum Abrahamo LAURENTIUS intercessisset. Porrò moriturus plumas respuit, memor quàm duro lectulo Christus obiisset. Et tamen sine plumis in cælos evolavit anno M. cccc. x. cum justa illi homines inter Angeli persolverent, funeris dicam tibicines, an virtutis buccinatores? *Ex Suario.*

*Vtinam saperes, quæ Dei sunt! intelligeres, quæ mundi sunt! provideres, quæ inferni sunt! profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ ad manus sunt contemneres.* S. Bernard. in Ep.

## S. IVLIANVS M. 9. Ianuarij.

**I**VLIANVS unicus parentum clarissimorum filius primam ætatem Musis consecravit. Ex virgines in clientis sui pectus amorem virginittatis cum literis instillarunt. Sed obstiterè votis parentes, castas aures Hymenæo identidem pulsantes. Itaque à cælo antè per somnum armatus BASILISSAM duxit. Verùm precantes thalamo cælestis primùm odor afflavit; mox de servando pudore piè sermocinantibus cum MATRE aliisque Cælitibus CHRISTVS supervenit, qui & audentibus animos addidit, & utriusque nomina vitæ libro descripta ostendit. Ita virgo obiit BASILISSA; IVLIANVS verò etiam Martyr; qui dum ad ludibrium totâ urbe vinctus circumducitur, CELSVS, mali Iudicis non malus filiulus, conspicatur eum non tam inter lictorum, quàm Cælitum manus inambulare. Pedes proinde martyris complexus, & Christum puer non pueriliter, & ipse fassus, cum IVLIANO ad ignem damnatur. Sed virtus proba è flammis splendidior nimirum exit, crescitque, matre etiam Celsi ad Christû adductâ. Caput demum omnibus sub annum Christi ccc. xi. auferretur. Sed neque sic locus coronæ defuit. *Ex Sur.*

*Qui igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terrâ habitans, adeò nihil curæ est ei gloria & ignominia. S. Chryf. hom. 52. in Acta*

## S. MARTIANVS CONF. 10. Ianuarii.

**N**Ovit MARTIANVS maximæ Ædi Byzantiæ præpositus orationem, quò cælos & certius,

B

& citius peteret, aliam reddere, creberrima illi jejunia & cleemosynas jungendo. Multus præterea in extitendis cœnobii templisque fuit; monumentis, quæ ferè vnica in mortali homine immortalia DEVS probat. Plenam, quoties foras prodivit, manum circumtulit, cum vacuâ nullum à se inopem passus abire. Veste, quàm diu vixit, non nisi unicâ semper usus, hæc etiam, cum nulli ad manum nammi essent, se exiit, & egenum induit, sed diuite lucro: quippe qui deinde cum seminudus pro arâ divinum cibum in populum partiretur, aureâ palâm à cœlo veste ornari visus est, ut planè jam quæstum quæsisse, & pro paupere togâ meliorem ambiisse videri possit. Noctu porro vigil pius urbem obambulabat, vel quibus tunc etiam beneficeret, egenos, vel quos lotos domi curatosque terræ mandaret, mortuos quærens; ex quibus non pauci revixisse inter studia tam sancta memorantur, & alterum vitæ parentem MARTIANVM salutasse. Iam grassantem in templum suum crudeliter flammam medius ipse objecto Evangelicæ historiæ volumine stirit, precibus domuit, lacrimis extinxit. Secundùm hæc aliâque mira, templo, quod ultimum ædificabat, & vitæ finem unâ imposuit. *Ex Metaphraсте apud Surium.*

*Manducat Deus in celo panem, quem perceperit pauper in terra. Da ergo panem, da potum, da vestimentum, da tectum, si Deum debitorem non vis habere, nihil nobis nocebit in terra, si nobis in celo misericordia sit patrona. S. Pet. Chryl. f. 42.*

S. THEO-

## S. THEODOSIVS ABB. II. Ianuarij.

**T**HEODOSIVM Cappadocem antrum ajunt incoluisse; rectius regiam dicerent: nam ad illud divertisse hospites primo itineris sui die tres Orientis Reges memorantur. Totus illi penus palma, cella fons fuit, deliciae dactyli, herbaeque, & lacrimae. Interim fuit, cum centum & amplius mensas paucis panibus pasceret: alias, cum Martiani hospes esset, illeque panem sibi deesse quereretur, THEODOSIVS in barbâ Martiani granum haerere frumenti conspicatus, qui potes, inquit queri, qui tot panes in barbâ circumfers? simul, granum in granarium ablatum totum hoc complevit, & veluti angustias hujus accusaret, extra ostia se miraculumque effudit. Alias magno Paschatis die, cum nihil in cibum suppeteret, Numen THEODOSIO mulum submitit instructissimum cibariis, quâ re ille impulsus semper deinde egenis duplicavit pium stipendium. Iam mortis memoriam suis impensè commendavit. Eum in finem sepulchrum quandoque fieri iussit, rogavitque ecquis eo tumulari vellet. Voluit Basilius quidam, qui mox suavissimè excessit è virâ, nec tamen in oedeo sacro vel videri, vel audiri desit. Praenobilis matronae filio, dum inter pueriles ludos, lapsus in fontem cadit, absens THEODOSIVS, adfuit tamen spectabilis, & ne aquis mergeretur innocentia, cavit. Vestis ejus cilicina militum Ducî vicem loricae fuit, & victoriam peperit. Sed & tibi contra hostem intestinum victoriam spondeo, si simili utaris lorica. *Ex Surio.*

*Magnum hujus vita solatium est, ut habeas, cui pectus tuum aperiās, cum quo arcana participes, cui committas secreta cordis tui; ut ames & sequaris eum, qui tibi paternā pietate in tristibus compariatur, in persecutionibus adhortetur, & in prosperis gratuletur. S. Bern. tract. de Ord. Vit.*

S. ARCADIVS M. 12. Januarij.

**M**ore Solis virtus hoc pulchrius nitet, quò diutius latet. Testem ARCADIVM adduco. Hic sevientibus ubique terrarum in Christianos tyrannis, sive homo timore aliquo, sive CHRISTI mandato inductus, posthabitis fidei fortunis omnibus, fugā se subduxit, & aliquandiu latebras habitavit. Sed nimirum ut vinceret fugit; ex latibulis suis velut insidijs hostem expectavit. Etenim cū irruptione in domum factā, & non reperto ARCADIO, ad tribunal de amicis ejus quispiam rapere-  
retur, continuo adfuit; circumventum inexpectatō tyrannum graviterque increpitum jussit omnes pœnas in se experiri: aciem tormentorum instrueret tyrannus, ingenio etiam certaret in auxilium alios etiam tyrannos evocaret; omnes in subsidiis carnifices constitueret; sese unicum contra omnia tormenta etiam nudum staturum, solā patientiā pugnaturum, ostensurumque ea dimicatione, quantum inermis Christianus omnibus minis, & tormentis armato tyranno præstaret. Desperavit jam tum judex de victoriā, & sententiam tulit, quā manibus ac pedibus mutulati ARCADIVS jubebatur. Hic fixis cælo oculis inter divinas laudes, supplicii locum magnanimus petiit, membra ad lanienam ipse nudavit, ipse singula  
trun-

truncanda exhibuit; itaque sanguinis sui purpurâ  
splendidus, sine pedibus ad martyrum tamen par-  
tes transiit, sine manibus palmam tamen cepit.

S. Zeno Ep. Veron.

*Ejus in mundo diu velle manere, quem mundus  
oblectat; quem seculum blandiens atque decipiens il-  
lecebris terrena voluptatis invitat. Porro cum mun-  
dus oderit Christianum, quid amas eum, qui te odit?  
& non magis sequeris Christum, qui te redemit &  
diligit?* S. Cypr. de mortalit.

S. GODEFRIDVS COMES. 13. Ianuarii

**D**VIXIT GODEFRIDVS Cappenbergensis Comes  
genus suum è Regio sanguine. Prædantium  
suorum militum licentiam, si quisquam alius, fre-  
navit, gnarus militum prædam Ducis esse furtum.  
Arcem suam in cœnobium vertit, & D. Norberti  
familiæ transcripsit, cum omnibus foris, qui-  
bus præclarum auctarium unâ cum fratre Ottone  
ipse accessit. Viderunt hoc multò antè in somnis  
illi, qui de Cappenbergensi arce vel columnam  
flammanem, vel civitatem nive nitidiorum in  
cælum viderunt assurgere. Et verò multa, quò  
moram tam sanctis consiliis injiceret, molitus est  
cognatus sanguis, nunquam non Dño hæredita-  
tem invidens; sed ille, uti alia humana omnia, ita  
hæc etiam insuper habuit, conjugæque inter San-  
ctimoniales relatâ, Norberti institutum avidissi-  
mè arripuit. In hoc accerrimus sui hostis, & glo-  
riosissimus victor, vix quidquam cibi sumere est  
visus, tantùm lacrimis inebriari. Cæli cupidissimus  
missionem corporis accepit anno M. C. XXXVI. cum  
moriturus illa audisset: *Exite obviam ei, & venien-  
tem è cælo comitatum amicissimè salvere jussisset.*

Secundùm mortem neptisux multâ luce vestitum,  
& coronâ conspicuum se ostendit, quæ illa legenti-  
bus loquebatur: *Induit me Dominus vestimento  
salutis, & tanquam sponsam decoravit me coronâ.*  
Pulchrè certe honorum cupidos alta conscendere  
GODEFRIDVS docet. Comitum abiecit, ut Rex ef-  
fet. *Ex Suario.*

*Amor æternæ vitæ & spiritualis studium sapien-  
tiæ velut in summa cordis tui constitutum præce-  
llat, quatenus dum fragilem hanc vitam cum sua  
sapientiâ despicias, replevi divino spiritu, qui ad æter-  
nam te provocet gloriam, salici vicissitudine, merca-  
ris. B. Pet. Dam. l. 8. Ep. 9.*

## S. FELIX NOLANVS 14. Ianuarij.

**F**ELIX Nolano cum fratre germano ita  
convenit, ut ignobilior hereditatis portio, id  
est terra fratri, melior verò, hoc est, cælum FELIX  
cederet, ut qui Christo militaret, germano Impe-  
ratoris castra sequente. Ita divisis vitæ studiis FE-  
LIX sacris est initiatus, ob fidem deinde in vincula  
conjectus ab impiis, sed exemptus ab Angelo, jus-  
sus est emeritum Præsulem Maximum querere.  
Eum in eremo repertum semianimum precibus  
primò, dein uvis, quas de spinis legerat, recreatum  
domum suam deportavit. Hinc cum denuò hostes  
ei imminerent, occæcati divinitus, quem auribus  
suis loquentem audierant, apertis oculis non vi-  
derunt. Fugientem porrò, & intra geminarum  
ædium parietinas abdentem sese, improvise opere  
suo atanea texit, & fuit tam tenuis tela propugna-  
culum tunc FELIX. Hic Calitum manu passus VI-  
mensis, & alloquio divino dignus, infulâ etiam  
effec



esset ornatus, nisi id dignitatis ex innatâ animi demissione in alium ipse transfulisset, quod eum septem diebus ante se sacris initiatum diceret. Obiit tandem FELIX scilicet, tumulumque templum est nactus; quod cum augustiis postea D. Paulinus reddere laboraret, solique rustici duo ædes suas transcribere negarent, ecce tibi ignis nocturnus tecta rusticorum depastus amplissimam aream descripsit. Neque hoc solum, sed & aliis deinceps miraculis FELIX luxit. *Ex Surio.*

*Ed minus in hac perigrinatione deficies, quò verius in fontem divina misericordiæ per virtutem specimen oculis levaveris. Hæc enim virtus claritate suâ Deum nobis manifestat, & inter hostium catervas intrepide ante faciem Domini nos perducit. B. Laur. Iust. Lig. vitæ.*

S. PAVLVS EREMITA. 15. Ianuarij.

**P**AVLVS Thebæus xv. annorum adolescens plus Decium, quam eremum horruit. Certè hoc unum imprudens Decius boni fecit, quod ex Christianis eremicolas fecit. Eos inter princeps PAVLVS perhibetur, cui in centesimum usque annum ac decimum spelunca tectum, una eademque arbor palma, & victum, & vestem dedit. Annus agebatur Christianus ccc. xxxi v. cum ad eum divino jussu visit Antonius, atque tunc prudens dispensator corvus, qui annos jam lx. dimensum suum PAVLO quotidie afferre assolebat panem dimidium, hospitis memor duplicavit annonam. Secundum hæc, cum, ita monente PAVLO, vestem sepulturæ allatum iret Antonius, priusquam rediret, abire inter Cælites in cælos amicum videt, reperitque genibus humi adhuc fixum, passisque brachiis

chiis omnino oranti similem. Cùm ultimum proinde officium mortuo præstaret, in eo socios duos leones habuit, qui sepulchrum egestâ humo parârunt, & mœrenti Antonio crebro mœstoque rugitu, & ipsi adgemuerunt. Hic domum revertit nimiùm quantum gaudens, spoliis opimis, hoc est tunicâ PAVLI è foliis palmæ concinnatâ. Certè non nisi maximis quibusque diebus festis in eâ visus est superbire, ut minus ego jam mirer ab Hieronymo eam palmatæ etiam Imperatorum purpuræ prælatam, quando in illâ magnus Antonius triumphavit. Ex S. Hieron.

*Quàm deliciosa fame affligitur, qui celestia promptuarii dapibus satiatur? cui calum sit cellariû, celestis promus exhibet ministerium; quàm feliciter miser est, qui dum terrenis eget impendiis angelicis fulcitur obsequiis: cui ænium divinitus mittitur, angelicis ministratur? S. Pet. Dam. serm. 33.*

## S. IOANNES CALYBITA. 15. Ianuarij.

Ille IOANNES est, qui in illustri Patriciorum familiâ Romæ natus, parentes piè nos docuit fallere. Nam adolescens admodum clam his in Syriam abiit, & vestem indutus religiosam, unico, sed delicato cibo vestitavit, Angelorum pane. Post cùm parentes sæpenumerò ingereret hostis, ægrè illi sibi que facturus Romam iter instituit. Ex itinere vestem suam cum mendicantis centonibus commutat, & his spoliis superbus ad parentes ignotus divertit, tantæque filius familiæ, tanti patrimonii hæres vix malè factam testamque in vestibulo ædium suarum casulam impetrat. In hac ille tres annos ad invidiam sui hostis furtivo parentum aspectu fruitur. Hinc ex tuguriolo suo ad Superum

Superiũ palatia invitans, matrem adyocat; mendicus agrè impetrat; præsentem iurejurando adigit, velit jubeat in pannuceis suis se tumulari. mox sanctum Evangelii librum, quem puer ab eã dono acceperat, in manus tradit, atque ita oculos tandem matri aperit, ipse suos claudit. Enimverò malè officiosa velle hic auream filio purpuram inducere; sed ilicet manus sensit tandiu rigescere, dum piæ & ultimæ IOANNIS voluntati est obsecuta. Claruit verò sanctior hic in casã suã Romulus circa annum Christianum CD.LXVII. nunquam orbi tam notus futurus, nisi tam ignotus fuisset.

*Ex Suario.*

*Præferenda est Religio necessitudini, & pietas propinquitati. Ea enim est vera pietas qua preponit divina humanis, perpetua temporalibus: nesciunt suis parcere, qui nihil suum norunt; quoniam Sanctis omnia Deus est. S. Ambr. in Epist. ad Rom.*

S. BONITVS EPISC. 15. Ianuarij.

**B**ONITIVS virtus detecta jam tum divinitus est, cum matris adhuc utero lateret. Etenim cum hæc gravida à Sacerdote postularet, benè ut sibi precari vellet, *Quin, ille retulit, bene potius tu mihi precaris Domine? Amplius ad hæc obstupescēti, Ne, ait, hoc à te exigere me crede, sed ab eo, quem utero foves, quem ad insulam jam nunc vocari vides o.* Cæterum BONITVS adultior factus, cum maxima quæque munia in Gallorum Regiã obiret, ita Regis causam egit, ut cuius dignitati pauperum patrocinium præferret. Ascitus inde ad Episcopatum Arvernensem, dum nocte intempesta in templo precibus vacat, adspectabilem cum omni aulã Reginam cæli MARIAM habet; hujus imperio rem

C 5

divinam

divinam facit ( homini Cælitibus inservientibus ) & in laboris præmium vestem aufert. mirè candidam, eaque sive materiâ sive arte, quàm mirari oculus humanus semper, agnoscere potuit nunquam. Simile sperare postea ausus è successoribus unus, eodem se contulit. Verùm quia merita hominis abludebant, dissimilis pullus dissimili modo acceptus, & arcanâ vi domum suam est deportatus. At BONITVS sponte infulam abiecit, vel, ut rectius loquar, cum coronâ commutavit, quam ei cùm locos sacros plurimos lustrasset, à morte (cujus ipse sibi vates fuit) cælum decrevit, anno post Servatoris adventum DC. LXXXV. *Ex Surio.*

*Qui cupiunt strenuè spirituales persolvere laudes, representent se coram Deo tribunali, & ipsum in spiritu præsentè habeant, uti est, nihilq; ue inter se & eum habere velint, sed tanquam amicus cum amico colloquantur Domino. B. Laur. Iust. de discip. Monast. Conversat.*

## S. FVRSEVS CONF. 16. Ianuarij.

**E**X Angliâ FVRSEVM ascivimus. Iuventa ejus<sup>s</sup> Prodigis plena reliquæ vitæ prælusit. Post hanc à Musis transit ad monachos; mox doctor sanctioris vitæ & cænobii conditor, in quod passim vinctos oratione suâ à mundo abstraxit. Interè sub annum DC. XLIV. semel iterumq; animo è mortali corpore exiit, ductoribus Angelis bonis, qui vel lignea malorum tela clypeo excipiebant, vel quas de minimis etiam vitæ noxiis adversarii necitebant accusationes diluebant. Iam verò è cæli speculâ orbem contemplatus, cùm à quatergeminâ scelerum st. minâ (perfidiam, rerum fluxarum cupiditatem, discordiam, atque in miser-

ros

ros crudelitatem Angeli dicebant) ardere omnem didicisset, cum à cælestibus Choraulis levem omnem laborem quantumvis magnum, omne tempus quantumvis longum, ad æternitatem breve esse audiisset, à binis è numero Divorum Præsulibus jussus est ad corpus redire, & flagitiosos ad frugem reducere. Grave illi fuit à Cælitum societate avelli, præsertim ubi ad animæ domicilium corpus exanime ventum est. Ingressus tamen Angelis suadentibus toti jam Angliæ orbem (qualem vidit) cælumque oratione suâ depinxit, annosque porro XII. sceleratis in viam reducendis impendit. Posthæc cum Romam pietatis causâ contenderet, prius vitam quam viam emensus est. Integritatis testimonium demortuo corpusculum dixit quarto ab obitu anno, & ipsum integrum. Animus illuc ivit, quò afflueverat jam ire. *Ex Surio.*

*Fugiantur noxia voluptates, inimica gaudia, & desideria jam jamque peritura. Quis enim fructus est ea indefinenter cupere, quæ et si non desinant, deseranda sunt? Amor rerum deficientium ad incorruptibilia transferatur, & ad sublimia vocatus animus cælestibus delectetur.* S. Leo serm. 5. de Epiph.

## S. ANTONIVS MAGNVS. 17. Ianuarij.

**A**gyptius erat ANTONIVS, & domi sue nobilis. In primo ætatis flore mundo moriturus ex asse pauperes heredes scribit subinde victoriis adversus hominum hostes malos genios nobilitatus; ab iis plagis aliquando pessimè acceptus, dum IESVM suum familiaris deinde rogat, ubi id temporis fuisset, a fuisse spectatore pugnae audit. Tam propè à Deo absumus, etiam cum longè a bestie nos putamus. Aliàs dum mundū æquioribus

ribus animi oculis arbitratur, aream esse aucupis videt laqueis undique obiectam: scire percupidus, quis hos effugeret, responsum accipit, qui animo demisso esset. Subinde Martyrū pugnis cum actor adesse non posset, spectator adfuit, & hortator, iudicique saepe in veste candidā obuius mortem nequicquam ambiit, eremo pugilem sibi deposcente. Illic cum ageret, à Constantino filijsque Imperatoribus persæpe litteris salutatus, vicissim, eos officij sui commonefecit, & à suo ad divinum tribunal crebrò iussit advertere. Natus annos C. & V. ista suis suggestit documenta: Viverent quotidie morituri: quotidie melioris animi proposita novarent: IESVM assidue suspirarent: hoc nomine clypeo in hostem uterentur: hæreticorum familiaritatem fugiendo effugerent. Sub hæc mortuus anno à partu Virginis CCC. LVIII. vitæ præconem magnum Athanasium habuit, uti & hæredem pallioli sui laceri quidem & detriti, sed quod virtutem sciret tegere. *Ex S. Athanas.*

*Ecce venatorum spiritualium quot sunt laquei ad capturam animarum toto orbe diffusi! hos tantummodo evadunt, qui mundum ipsum de dignantur amare, illum secedendo spernunt, ejusque concupiscentijs abdicatis DEO in spiritu militare proponunt. S. Laur. Iust. de Contempt. mundi.*

S. LEOBARDVS C. 18. Januarii.

**I**ningentes opes natus LEOBARDVS ad nuptias non tam invitabatur, quam cogebatur à parentibus, quas tamen mors utriusque interturbavit. Filius sponsus, ubi iusta his persolvit, ad germanum proficiscitur. Sed hic tum fortè ebrius neque agnoscere fratrem velle, quin contumeliosè acceptum

acceptum fide minimè germanâ hospitem domo exigere. Hic **LEOBARDVS**, dum noctem sub dîo agit, cælumque ad faces suas contemplatur, Certè inquit, hoc non excludet, nisi aditum ipse mihi interclusero. Et quousque demum servitatem mundo ingrato hanc serviam? nunquid non mors ipsa parentum ad pileum vocat? nolentes mundo mortui mori me volentem docent. At innumeras opes numero, nempe quas pater heri, ego hodie, cras alius numerabit. Sponsa mihi est. Mater scilicet bella mihi, & lites pariet. Et ubi tunc castissimi nunc animi lilia? morientur hæc; & ego Superis tam nobilem odorem invidebo? Ergo tibi hunc mentis candorem, ô cælum, tu verò terra, res tuas tibi habe. Exulabis & tu animo nostrò. Irasceris? prior exclusisti. Hæc secum **LEOBARDVS**, mox rectâ Asceterium, ibi ipsos duos & viginti annos angustiis cellæ inclusus aditum ad se mundo vicissim negavit, neque tamen vel talis sine prole in cælos abiit. Reliquit post se virtutem nobilem filiam & vobis, Sodales Parthenii, locandam. Cur abnuitis pauperè ducere? dabit cælû dotè. *Ex Ser.*

*Non in nobis flamma libidinis aestuet, non turpis cogitatio pulchram animam nostram coram DEO speciem fadet. Non nos terrene facultatis abundantia in superbiam erigat, non tenacitas misericordie viscera pauperibus claudat: Vigeat in nobis perpetua castitas. S. Pet. Dam. serm. 65.*

**S. LAVNOMARVS ABB.** 19. Ianuarij.

**E** Gallia est hoc lilium, quod manu tenes. Multa inde in rosaria Mariana transferemus; interea isto oculos oblecta. Nascitur ergo **LAVNOMARVS** anno post natum Servatorem vigesimo  
supra

supra quingentesimum. Puer genium suum defraudat, ut inopum ditet. Hinc Sacerdos, ex Sacerdote nobilis eremi cultor cœnobium exædificat, & silvas facit habitari. In his feræ à lupis agitata asylon sinum pandit, verissima aurei seculi ovis. Inde optimus orator oratione suâ suadet arbori ingenti, aliq̄ ut migret, & persuadet. Depopulantem porrò omnia flammâ uno Crucis signo exaromat: agris sanitatem pristinam plurimis impertit. Sed non perinde avaro nescio cui facere medicinam placuit. Fuit hic oppidò dives, sed letho proximus rectè pauper sibi videbatur. Mittit itaque XL. aureos LAVNOMARO, sive ut DEVM sibi per hunc propitium redderet, sive ut fortè sic mortem auro corrumperet, At verò LAVNOMARVS ad severum in arâ examen singulos expendere, & unico duntaxat servato, alios omnes remittere, gravi additâ denuntiatione, quâ & expoſtulabat, quòd furtum munus Deo obtruderet, & simul mortem indicebat. Et verò non huic tantùm, sed universæ Galliæ vastitatem clademque vaticinatus est; ipse tamen ne hanc videret, morte oculos clausit. *Ex Suario.*

*Homo, mitte & premitte thesaurum tuum in caelos, ne caelestè animam demergas in terram. Aurum de profundo terre; anima ab excelsis cali. melius proinde est, ad sedè suam deferri aurum, quàm in sepulchro auri anima demergatur. S. Pet. Chryl. ser. 22.*

## S. ABUNDANTIA VIRG. 19. Ianuarij.

Satis laudasse ABUNDANTIAM videri possem, si illud modò dicerem, & natam & mortuam laudatam ultrò ab ære campano fuisse. Adjiciam tamen alia pluscula. Cùm sacro fonte tingerentur, dicuntur



dicuntur lampades templi suapte sponte accensæ,  
 & infanti lucem & urbi infantem gratulatæ esse;  
 ipsa ABUNDANTIA jam tunc in innocentis feminæ  
 patrocinium ( adulterij rea agebatur ) fuisse facun-  
 da. Iam octennem ferunt ab icone pueruli IESV  
 MATRIS sinum insidentis pomum aureum, quod  
 manu fortè pictum gestabat, petiisse & adeo im-  
 petrasse; *αυριδαρον* deinde flores (ab hieme dona-  
 tas) eidem attulisse, & ut acciperet persuasisse. Sed  
 hucusque cælum cum puellâ lusit, quæ dicam se-  
 veriora sunt. Itaque memorant cum Majolo Ab-  
 bate matreque Ierosolymam ivisse, & cum cætera  
 Christi vestigia, tum illa potissimum venerabun-  
 dam exosculatam fuisse, ubi ille pondere Crucis  
 fessus obviam MATREM habuit, heu! alteram tunc  
 oculis suis crucem, Hic lacrimis diffuere volu-  
 it ABUNDANTIAM; hinc flagris ita in sese savisse,  
 ut sicut oculi in fontem, ita sanguis fusus in rivos  
 abire videretur. Abhinc Angelo duce in antrum  
 Onuphij devenisse, illicque feminam viri vitam  
 vixisse. Ad extremum repertam à patre reductam-  
 que in patriam, omnem, hoc mortuo, hereditatem  
 egenis cessisse; mortuam deinde etiam ipsam pro-  
 funere ab Angelis laudatâ cantu fuisse. Ex Ferrar.

*Ad caelestia regna suspires, voluntatem Dei facias;  
 imiteris Angelos super terram, adversus tentationes  
 pro pietate configas; & si caelestis militia sacramen-  
 ta servaveris, non dubites te in castris triumphali-  
 bus Regis æterni victoriâ coronandum. S. Leo s. 2.  
 de Nat. Dom.*

S. SEBASTIANVS MART. 20. Ianuarij.

**A** Nno post CHRISTVM natum LXXXVI. supra  
 CC. Marcus & Marcellianus Christiani mili-  
 tes ad defectionem vehementer à parentibus soli-  
 citaban-

citabantur. Enim verò interponere se hîc Tribunus SEBASTIANVS, turpemq; à tam sanctis castris fugam omnibus viribus dissuadere. Dicenti cælum applausit, piùmque oratorem lumine suo ve-  
 xit, simul vox insonuit ejuscemodi, *Nunquam non mecum eris.* Ab eo tempore non jam fîdium Æsculapium Romani habuerunt. Ita omnes morbos pellere SEBASTIANVS; ita doctè, dum corpori medicinam faceret, animum quoque morbidorum ad sanam fidem adducere. Inter hos cum jam urbi etiam Præfectus numeraretur, imperio Diocletiani malè sani medicum suum sagittis confodiunt, confossum & prope exanimem negligunt. Sed qui SEBASTIANI manu curare alios voluit, suâ SEBASTIANVM non possit? imò verò adest ille incolumis, & sub aspectum tyranni iterum se sistit; mox tamen inter fustuarium fortem animam expirat, corpusque in cloacas abjectum Lucinæ tumultandum committit. *Hac ex Str.* Cæterum ejus cranio hodie Ebersperga Bojorû gloriatur, magnâ semper illuc confluentium religione, longè tamen majori recedentium, ubi votorum damnati sunt, lætitiâ.

*O verè illum degenerem & omnis boni expertem, qui caelestis vita amore non capitur; qui timet hanc perituram perdere, ut illam possit accipere, quia perire penitus non novit.* Ex Orat. S. Sebast.

## S. NEOPHYTVS M. 20. Januarij.

**I**Ta est, uti sua adolescentem etiam urticam acrimonia loquitur, ita suus nobilissimû quemque flosculum, cum primùm exoritur, odor terris cæloque prodit. Ita quem tibi pinximus, NEOPHYTVS Niczâ Bithyniæ oriundus jam inde à puero

puero sanctiore spiritu visus est agi. Hic sub columbæ candore lectulum sepe numero Divi volatu ambire : hic postquam matri, quam ab eâ nascendo acceperat, vitam reddidisset, Dux ei in montem Olympum esse, speluncam hospiti monstrare, & à feris purgare. Ecquid porro mirum, si post ipsum Nomen, Angelum etiam tutelarem tam habuit familiarem? Nam iste victum clientis suo ministrare; iste sub annum trecentimum, cum vale jam parentibus divino jussu dixisset, opesque in pauperem turbam erogasset, ad tribunal Decii Imperatoris comes esse, testis virtuti clientis sui apud Superos, & præco futurus. Ibi Martyr à flagris, flammis, ferisque innoxius, nocenti tandem carnificis ferro cecidit, monuitque non mentiri poetas, qui ex Olympo ad cælos esse aditum canunt. *Ex Martyrol. Rom. & Men. eis Græcis.*

*Delectatur Dominus IESVS in gravitate vitæ, in cordium puritate, & in perfectione virtutum servorum suorum. Propterea Angelicam conversationem tenere conentur, quotquot caelesti domino gratissimum desiderant exhibere famulatum B. Laur. Iust. de discip. Monast. Convers.*

S. FRUCTVOSVS E. M. 21. Ianuarij.

**I**Bant ab Æmiliano Præside missi lictores, qui FRUCTVOSVM Tarraconis Episcopum in vincula abriperent. Non fugit hic, sed bonum se pastorem probaturus obviam etiam ivit lupis. In carcere verò constitutus signum scilicet expectavit, quo currere ad immortalitatem juberetur. Iamque feria VI. aderat, quâ Christus ipse martyribus mapam misit, cum FRUCTVOSVS duobus stipatus comitibus ad rogam cucurrit. Ex itinere oblatum à

piis

piis haustum Christi exemplo respuit, jejunii sui etiam in morte tenax. Nudis pedibus flammis tamen insultavit, atque inde veluti pro rostris Christianos est adhortatus, oculos in æternitatem defigerent, non cruciatus breves. Iam vincula flammis soluta manus solverant, cum FRUCTVOSVS, explicatis in crucem brachiis, cælum spectare, cælum precibus pulsare. Et ecce panditur hoc, & Martyres (spectantibus triumphum impiis) inter flammarum globos, ad cælum evolarunt, coronis omnes insignes, indeque rident admotas necquicquam à iudice machinas. Tam illustrem itaque rogam non aquâ sed mero diluendum duxerunt Christiani; sed distinguere laborantibus sacra ossa, è cælo FRUCTVOSVS adfuit, veteriq; terris disjungi, quos cælum junxisset. *Ex Suario.*

*Labrere non vis, qui utrùm vivas usque ad senectam nescis: quare differs vocantem te, vivus de morte, incertus de dia? quidna forte quod illi tibi daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo. Aug. serm. 56. de verb. Dom.*

S. MENRADVS MART. 21. Januarij.

**F**VITÆ MENRADVS Suevici sanguinis Co mes. Tirocinium melioris militiæ in Ascet erio (Augiam Divitem dixere) posuit. Mox ex tirone miles, ex mi'ite Dux castra in Eremum movit, semper inclytus victorijs ab orco reportatis: qui tam densâ quandoque acie casam oppugnavit militis nostri, ut suam diei cum sole lucem eriperet: sed solvit oppugnationem unicus bonus genius Custos MENRADO datus, cum aliàs sæpè, tum precanti imprimis visendus adfuit. Ita vitam solam agenti in annum XXVI. latrones gemini supervene-

pervenerunt, quos ipse, quamvis cogitati facinoris minimè ignarus, benignè & accepit & habuit. At illi secundùm sacrificium & preces, hospitem suum necant ingratiſſimi, & ponè caput cereum, uti vivus petierat, statuunt. Is suapte vi accensus, & jam decreſcens, cùm stipulas lectuli comprehendisset, veritus sacrum caput attingere, spontè iterum extinctus memoratur. Corvi interim & ipsi gemini, ac diu è manu Divi diarium accipere soliti, pulchrè se & Patronum suum vindicarunt. Alas quippe & ungues intentando in oculos, & voce, quâ poterant, parricidas clamitando, tandem prædones sunt infecuri, quoad in vincula tandem coniecti sunt, post paulum iterum pœnas corvis daturi. *Ex Suario.*

*Si quando animus tuus accepta injuria dolore exarsit, fac tibi Christus Christi quæ vulnera in mentem veniant, quæ in uisceribus, pars hæc est eorum, quæ Dominus tuus perpeſſus est; hac ratione animi dolorem velut aspersâ aquâ extinxeris. Greg. Naz. in sen.*

## S. AGNES V. 21. Ianuarij.

**A**GNES è primâ Romæ nobilitate vix dum annos nata tredecim, candidum pudoris florem sanguinis sui purpurâ pinxit. Nam Agno dudum nupta dum oblatum à filio Vrbi Præfecti thalamû longè repudiat, vestibus spoliata in lustrum abripitur, sed mox ab Angelo bono, divinâ luce contra impuros armatur, & veste de cælo data ornatur. Irrumpentem exinde, de quo dixeramus, CHRISTI rivalem, ideoque à malo dæmone suffocatum vitâ iterum donat, & tamen ab Aspasio flammis addicitur, sed quas ad preces vitginis cælestis ros illicò extinxit. Gladio denique trajicitur  
nova

nova urbis Romæ, sed virgo sed, non latro, Lucretia. Porro dum Emerentiana virgo ad AGNETIS tumulum precatur, lapidibus obruta suoque lustrata sanguine (nam fonte sacro non erat) à parentibus AGNETIS prope filiam conditur, quibus non multò post inter candidatum virginum agmen AGNES cum AGNO sponso suo visendam se dedit vetuitque deinceps morere, & eam felicem thalamum, quem optimè nupta incendisset, lacrimis aspergere. Ex S. Ambr. & Brev. Rom.

*Prospiciant sancti Angeli tui certaminis exitum, coronas gemmis coruscantes tenentes in manibus, ut illas perseveranti largiantur. Pudeat te, oro pudeat in conspectu caelestis senatus & Imperatoris aeterni segniter dimicare. B. Iustinian. in fascic. amoris.*

S. ANASTASIVS MART. 22. Ianuarij.

○ Pima spolia abstulisse in Persiam se Cosihog putavit, cum Crucem S. abstulit, sed nimirum quæ Persiam spoliarent. Sanè multorum fides nostra in animum, simul Crux in oculos venit, interq; eos ANASTASII celebris magni filii, qui cum de Cruce Crucisque anathemate multa curiosè quæreret, jam tum gestiebat magna pati pro maxima patiente Christo. Itaq; sanctissimus transfuga Ierosolimæ Christianum, mox monachum induit; nullâ re sic delectatus; uti res fortiter à Divis gestas legendo, martyribus præferim, quibus ille tot Palmas tyro invidebat, & interea cum sanguinem nondum posset, lacrimas ubertim fundebat. Ut primùm ergo in privato pulvere exercuit sese, prodiit in aciem ultrò hostem laceffens. Igitur ad latomias damnatus saxa tulit, dein verbera. at ille supinus membra etiam nuda lubens pul-  
fanda

sanda præbuit, modò vestibus sanctis parcerent.  
Tanti illi jam tunc fecit cucullum, quem heri na-  
tus rider hodie hæreticus. Caterùm collum pe-  
demque communibus cum nescio quo scelerato  
vinculis ligatus dies noctesque velut Hilaria in-  
ter cantus solemnes traduxit, ut jam ad se Cælites  
etiam raperet pontificali majestate & insolito  
splendore insignes, quos inter visus est unus ali-  
quis odoribus (ah! qualibus?) Martyrem venerari.  
Igitur post altera virgarum clavæque verbera,  
post tibias fractas aliæque supplicia, tandem cum  
XL. sociis Martyrum torque, laqueo, est donatus.

*Ex Surio.*

*Non interrogas ô homo ea, quæ pateris, sed quæ  
Christus passus est; quanti te fecit ex his, quæ pro  
te factus est, agnosce. Quanto enim minorem se ex-  
hibuit in humanitate, tanto majorem exhibuit in  
bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi  
charior est. S. Bern. serm. 1. de Epiph.*

S. CLEMENS E. M. 23. Ianuarij.

**T**RIUMPHAVIT CLEMENS Præsul Ancyranus sub  
annum CCC. III. quando sub sacrificium (ad  
quod aliàs Cælites illi panem & vinum ministra-  
runt) ferro cecidit. Ravò tam splendidè in celo est  
triumphatum. Lictores labore fessi victique in-  
numeri præcessère. Acti ante currum tyranni,  
Domitianus, Diocletianus, Maximianus, aliique  
non unâ Pugnâ devicti. Præferebantur virgarum,  
flagrorum, funium, catenarû, fustium, tauræarum,  
securium, saxorum benè magnus numerus. Hinc  
culci, equuleique & obelisci sequebantur. Inde è  
ferro manus, galeæ, styli, subulæ, ungulæ, laminæ,  
pectines, rotæ, grabati, fornaces, omnia à flammis  
igneæ.

igne. Ostendebantur adhæ picis, olei, sulphuris liquati & vivæ calcis vis ingens, major minarum tyrannicarum, multò maxima blanditiarû, opumque frustra promissarum. Visebantur ergastulorum carcerumque simulachra. Ipsum mare captivum ducebatur, & præter alias devictas urbes Ancyra, Nicomedia, ipsa adèd Roma gerebatur, & triumphato triumphos suos erubescibat. Currum leones (pedes etiam triumphantis lambere edocti) trahebant. Hunc secuta innumera turba est pileata, omnes è Deorum servitute in Christianam libertatem CLEMENTIS virtute asserti. Tot cæli cives servati totidem Servatori suo coronas porrigebant, addidit cælum triumphalem, Angeli plausum, & carmina. Nos ignavi triumphos laudamus, & pugnas hortemur. *Ex Surio.*

*Quisquis gaudes fortiter egisse Martyres Christi, corripe. & ipse arma inter milites Christi. desunt exterius hestest verte arma in te, & multos seditiosos invenies cives. Doma superbiam, jugula invidiam, extingue libidinē, crucifige carnem tuam cum vitiis & concupiscentiis. B. Pet. Damian. serm. 31.*

S. IOANNES ELEEMOS. 23. Januarij.

**C**VM annum ageret XV. IOANNES, misericordia divina manifestâ in luce sponfam se ei obtulit. Annuit continuò. Et ratum conjugium Superi habuerunt, dotemque addiderunt, tam opulentam; vt semper deinde haberet, quod in egenos effunderet. Archiepiscopus jam Alexandrinus lustrum egit clientum suorum, hoc est, pauperum, numeravitque septies mille & quinquaginta, quibus omnibus deinceps in singulos dies victum subministravit. Sed nec ulli alii piam manum



manum unquam subduxit, ut meritò id certaminis cum DEO suscepisse sit visus, plùsne hic dare, an reddere illi posset. Munificentiam vel ex eo vide, quod ultimum ægoranti unicus super teruncius fuerit vix nauum morituro. Ipse in testamenti sui tabulis reperisse ingenuè se fatetur in arario auri pondo octies mille, & hæc decies millies, & amplius aucta dilapidasse se in pauperes gloriatur. Anno igitur D. XCII. è corporis ergastulo in palatium abiit, quod piæ ipsius munificentie structum in cælo Troilus vidit, & verò invidit postea, cum tam bonæ prodigalitatæ æmulus est factus. Venienti obviam IOANNI sua è cælo Sponsa processit cælestis aulae cubiculario comitata, manumque peramanter prehensum ad DEI conspectum deduxit. Ipse IOANNES nec mortuus sibi dissimilis, oleo, quod è tumulo suo dedit, in miseros miseris esse perrexit. *Ex Surio.*

*Nihil aliud, qui conuersaris in seculo, exigit à te Deus, quàm ut mandata illius custodias, proximum diligas, & pauperibus alimoniam præbeas. Eroge igitur inopiam patientibus, quod tibi præstitum est, ut in cælo recondas thesauros imprædabiles.*  
B. Laur. Iustin. de complanct. Christ. perfect.

S. ILDEPHONSVS EP. 23. Ianuarii.

**D**Ebemus hoc sidus (ILDEPHONSVM) Hispaniæ, in quâ ortum ad nos usque (uti ferè solet virtus) radios transmisit. Iuventam egit in Musarum familiaritate, quibus propitiis magnam eloquentiæ laudem sibi comparavit. Ab his in adyta sanctioris sapientiæ se penetravit, sustinuitque inter monachos reuerascere grandis discipulus. Ab his ad insulam Toleranam abstrahitur, tam orbis quam

quàm cæli amor. Et hem tibi ejus rei unum alterumve testimonium. Precanti Angeli tumbam S. Leocadiæ recluserunt, & Diva ipsa flammeum suum obrulit; unde ille abscissam partem unâ cum Regis Receswindi cultro, & ipso tam sancti velaminis tactu jam sancto, argenteo inclusit. VIRGINEM MATREM principe semper studio coluit, ejusque SS. integritatem insigni volumine contra hæreticos edito propugnatum ivit. Nec gratis. ASSUMPTÆ siquidem in cælos die, cum supplicabundus cum suis templo proximus jam esset, Cælitum manus fores pandit, & virgines inter VIRGO MAXIMA in sede Pontificali conspicua, eidem vestem mirifici candoris donavit. Ea hodieque religiosè asservata docet, quo filios suos Magna Mater uti vestis, aut certè animi colore cuperet. *Ex Surio.*

*Talis fuit Maria, ut unius vita omnium disciplina sit; Si igitur auctor nō displicet, opus probemus; ut quicumque sibi ejus exoptat pramium, imitetur exemplum. S. Amb. de Virg.*

S. BABYLAS EP. M. 24. Januarij.

**E**Vm ego triumphum laudo Divotum, quem non soli ducunt in cælum, sed cui comes servata juvenus ambulat. Talem hodie BABYLAS duxit. Fortè templo se Antiochiæ inferre Decius properabat, cum adventanti BABYLAS Antistes se objecit, & pro eâ, quâ erat Christianâ libertate, cani tyranno aditum interclusit. Hic in rabiem verius, templum ferro flammisque excindi, BABYLAM jubet in carcerem abripi. Ecce autem nobilissimam vinculorum magistri appendicem tergeminos adolescentulos (VRBANVM, PRILIDIANVM

NVM & EPPOLONIVM dixere) lectissimos floscu-  
 los, & quos mellitissimis verbis pridem sibi magi-  
 ster BABYLAS conciliarat. Poterant hi in ruborem  
 etiam Spartam dare, tam forti animo vel alapas  
 devorabant, vel plagas concoquebant, quæ cum  
 pro numero annorum singulis ingererentur, do-  
 luere scilicet, non Pyliam sibi ætatem esse. Stabat  
 inter hæc egregius Doctor, oculosque discipulo-  
 rum virtute pascebat, animisque identidem ani-  
 mos de suis addebat. Quid multis? ferro omnes  
 cæsi, & magister discipulis, discipuli magistro  
 sunt immortui. Tam mordicus, semel virtute ma-  
 gistrorum capta juvenus lateri eorundem hæret.  
 Cæterum BABYLAS vincula nec mortuus dimitte-  
 re, sed in tumultum asportare voluit, id quod erat  
 ratus, nullos expeditiùs ad cælum pedes currere,  
 quàm vinctos pro cælo. *Ex Surio.*

*Si vis ad perfectionis fastigium provehi, amodo ne-  
 cesse est, in cunctis virtutum studiis exerceri, vide-  
 licet dum ætas tua cerea est, dum mores teneri in  
 quamlibet partem valent indifferenter adduci; cum  
 ipsis corporalibus incrementis coarva virtutum exer-  
 citia coalescunt. S. Petrus Dam. l. 6. Ep. 26.*

CONVERSIO S. PAVLI 25. Ianuarij.

**A**Nnus, qui post CHRISTI ad Superos redi-  
 tum erat secundus, idem secundissimus SAV-  
 IO fuit. Hoc enim ille, personam feliciter positam,  
 PAVLUM induit, adnitente potissimum apud DEVM  
 D. Stephano, non minus tum in cælis, quàm terris  
 olim pro hostibus suis piè sollicito. Ibat SAVIUS  
 minarum plenus, & in vincula ipsam (si Superi si-  
 nerent) fidem tracturus; cum ecce tibi subita ab  
 alto vis fulgorque audaciam attonito omnem ex-  
 cutit

C

cutit

currit, & feroces humi spiritus cum domino suo affligit, simul vox istiusmodi cælo intonat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* mox sciscitanti: *Quis es Domine?* responsum redditur: *Ego sum IESVS Nazarenus, quem tu persequeris.* Atque hæc demùm vox illam nobilissimam expressit: *Domine quid me vis facere?* Ergo Damascum conferre se iussus, eò p̄ comitibus, & ipsi rerum gestarum miraculo stupentibus abducitur. Ibi triduum apertis oculis cæcus ac jejunos ab Anania demum & oculorum, & quod caput est, fidei donatur lumine. Hoc ille deinceps per omnes provincias circumferens tot gentibus accendit, ut rem mihi attentius consideranti unus quidem hodie cecidisse PAVLVS, cæterum surrexisse cum PAVLO totus orbis videatur *Ex Act. Apost.*

*Sicut modo nemo est, qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo, qui possit. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis justitiam.* S. Bernard. serm. 1. in Epiph. Dom.

## S. P O P P O C O N F. 25. Ianuarij.

**V**idetur Poppo ad gloriam paternam bellicamque laudes ab ipso matris utero properasse. Etenim jam tunc latere respuens septimo statim mense in lucem, mox ubi per ætatem licuit, ad bellum prodijt. Pietatem tamen comitem secum traxit, & subinde ad vestigia Christi Ierosolymam, alias Romam ad Principum Apostolorum limina invisit. Redux, dum nuprias casque illustres cogitat, jamque ad has equo properat, cælesti luce se animumque atque adeo hastam etiam suam fulgere animadvertit. Inde omen auspiciūque melioris militiæ capit, & sacramentum apud monachos

chos dicit. Inter tyrocini temporā cū fletu alios inundari, ipse pumex, videret, saxo è pectore fontem oculis statuit perere, quod factum postea tam abundè, ut pavimenta, & vestes sacrificantis fletu maderent, interque cœnulam plus videretur lacrymarum quàm aquæ bibere. Magnatibus etiam familiaris pacem inter Conradum Imp. & Henricum Regem sanxit, Venenum non semel innocuis bibit, illis morientibus, qui miscuerant. Pastorem à lupo laniatum vitæ, & gregi reddidit: dæmonem ludicrâ alapâ fugavit. Moritur denique cilicio incumbens, terramque matrem prono pectore deosculans. Mortuum sex dies odor mirissimus laudavit suavissimisque; tumulabant inter homines visi Angeli, sepulchrum verò ingentia miracula ornarunt, *Ex Suvio.*

*Ornari abs te Diabolus querit, si Calicem aureum invenisse sin terra, donares illum Ecclesia Dei: accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum, & ministras inde libidinibus, & in illo Sathana propinas te ipsum. S. Aug. Ep. 41.*

B. HENRICVS SVSO C. 25. Iannarij.

**H**ENRICVS SVSO Constantiæ in Dominici familiam adlectus simulque à IESV in adyta amoris inductus, IESV nomen pectori insc. Ipsit ingeniosus calator. Digitales erant literæ, quæq; ad cordis motum, & ipsæ movebantur, ut cum hoc dudum conspirasse idemque utrobique agi scires. Interea inter dolores deficientem alterum, & è cælo lapsum nomen IESV è cruce auro gemmisque rutilans recreavit. Et cur à Filio Mater abesset? MARIAM salutare ante solem gestiebat, tunc præsertim, cū idè facere Angelos audïsser,

C 2 illis

illis verbis, *Stella MARIA maris hodie processit ad ortum*: quandoque etiam ad cantus illos socius admittitur. Iam Kal. Ian. & Maii, quibus Suevia vel Xenii vel cantu certat, ille totos dies IESVM & MARIAM sonare, flores Cruci dare, hanc osculis fatigare; ut post tot amores manifestus iterum IESVS HENRICI nomen in AMANDI mutarit, & MARIA (cujus solo nomine in fugam ore dabit) humana nauseanti caelestem liquorem propinarit. Ceterum (mecum mirare) hucusque in primo gradu virtutis consistere AMANDVM suum Christus docuit, & Seraphinum alatum in cruce suâ indutus docuit per adversa non ire, sed volare in cælum. Abhinc scortator, sacrorum fur, impostor, veneficus audiit AMANDVS, ut succumbere potuisset, nisi IESVS & MARIA Angelique colloquiis suis identidem firmassent. His succollantibus in cælos evasit, Anno M. CCC. LXV. qui sequi volunt, legant scandantque *Rupes*, quas scripsit.

*Ex Ann. Ordin. Præd.*

*Tristatur aliquis? veniat in cor ejus IESVS & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, & redit serenum. Labitur quis in crimen, currit ad laqueum mortis, nonne si invocet nomen vite, respirabit ad vitam? S. Bern. serm. 15. Cant.*

S. POLYCARPVVS EP. M. 26. Januarij.

**A**ntistes Smyrnenibus POLYCARPVVS à Divo Ioanne Apostolo datus est, eâ apud omnes fuisse auctoritate memoratur, ut subinde sperare ausi sint Iudæi, Christianos, misso Christo, POLYCARPVVM secuturos. Libertate quàm Christianâ in dicendo fuerit, argumento ejus cum Marcione hæretico congressus, qui cum ad conspectum suum exhor-

exhorrescere Divum videret, audaciâ linguam ar-  
 mante, *Nosce nos*, ait *amabo*. At POLYCARPVS, vul-  
 tu ad severitatem composito, id tantum respon-  
 dit, *Novi equidem primogenitum Sathana*. Cæterum  
 Romæ cum degeret, divinitus de morte suâ edo-  
 ctus, lictoribus obviam progreditur. Sub pugnæ  
 initium voce è cælo animatur, jamque Christo  
 malè jussus dicere: *Qui*, inquit, malè illi possum  
 dicere, qui ipsos LXXX. annos famulanti sibi mali  
 nil fecit unquam? Ergo ad rogam damnatur. Sed  
 virtutem ipse absolvit ignis, dum tangere veritus  
 structâ velut è flammis porticu ambit innocen-  
 tem, nec jam lædit, sed tegit, suavissimum interim  
 in adstantes odorem ejaculatus. Ad extremum  
 gladio confossus sanguine ignem extinxit, nobili  
 nimbo, & quem vel suis imbris cælum præfert.

*Ex Surio.*

*Quando tu hodie in mundo constitutus & cras  
 tribunali Dei presentandus audes blasphemiam  
 proloqui? & non metuis ne fortè ignis de celo des-  
 cendat & te devoret; tuum os adversus omnipoten-  
 tem aperis, neque vereris ne terra sub te disrum-  
 patur & te absorbeat? S. Ephrem paræn. 83.*

S. IOANNES CHRYSOST. EPISC.

27 Ianuarij.

CHRYSOSTOMVM laudibus suis pingat alter  
 Chrysofomus; nos umbram damus. Non-  
 dum Pontifex Byzantinus erat IOANNES, cum in  
 ejus conspectum se dedit Apostolorum Princeps  
 D. Ioanne Evang. comite, & sanctioris potestatis  
 ac magisterii indices claves illi ac librum obrulit.  
 Et verò quid mirum, si hoc Doctore etiamnum  
 orbis gaudeat, qui præcepto rem magnum Pau-  
 lum

lum, imò eundem cum Paulo magistrum Spiritum S. habuit? Nam hunc obvolitantem capiti suo, dum sacris operaretur, conspexit ipse; illum dum ad mensam scribere, assistere distantem similem alij etiam viderunt. Talis itaque IOANNES cum urbe suâ hæreticos, & cum his vitia alia, ac blasphemiam imprimis proscriberet, sanctæ libertatis vindex acerrimus, æqui justiq; unicus amator in odium Augustæ Eudoxiæ incidit: nam IOANNES imperij sui etiam in Reges memos templi aditu gravibus ex causis profanam prohibuerat, & in statuam ejus, quæ propter templum choreis ludisq; non sanctis colebatur, graviter detonuerat; jamq; secundum exul in meliorem patriam cælum abiit, ad id à geminis, quos supra memoravimus, Apostolis & D. Mart. Basiliaco invitatus. Siluit itaque aureum hoc os anno post reparatam salutem septimo supra quadringentesimum. *Ex Surio.*

*Tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam: se tibi vel oratio assidua, vel lectio; nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum; ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. S. Cypr. Ep. 2. ad Don.*

### S. IACOBVS POENITENS.

28. Ianuarij.

**H**ominis, mi lector, speculum cape & peccatis & poenitentis; IACOBUM inspice. Hic postquam Anachoretæ XL. omnino annos DEO militavit, miranda maxima patravit, trophæa de hoste inferno statuit plurima! id ætatis vir à feminâ demum triumphatur, & ab eâ feminâ, in quâ ipsum cacodæmona non horruerat, imò è quâ



quã victum egerat. Huic itaque infelix primò pudorem, mox vitam extorquet. Et verò tertium scelus accumulasset desperabundus, & victum se mundo dedidisset, nisi à tam turpi fugâ sanctissimi viri operâ DEVS retraxisset. Tum enim verò ad se redire IACOBVS, sepulchrum vivus subire, mortem suam vivus deffere in decimum annum usque: cælo interim oculos nunquam attollere, vix semel aut iterum in hebdomade de herbulis vesci, quæ ad ostium conditorii crevissent. Ipse certè Apostolus peccato mortuum dixisset. Sed nunquam pulchrius ille vixit, quàm sic mortuus. Nam supplicis hic spontaneis placatum Numen disertis verbis ex Episcopis nonneminè significavit, beatum imbrèm, quem tam anxie, sed nec quicquam postulabant, non nisi ad preces IACOBI concedendum. Atque hoc alijsque ejusmodi miris cum iterum orbi innotuisset, mori denique desiit annos natus LXXV. habuitque novo more unum idem & domicilium & sepulchrum. *Ex Surio.*

*Cur pudet peccatum tuum dicere, quem non pudet facere? aut cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potes abscondi? Quod si pudor tibi est, uni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid futurus es in die iudicij, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit? S. Bern. in sent.*

## S. CONSTANTIVS EPISC. M.

29. Ianuarij.

**N**obilissimis parentibus ortus est CONSTANTIVS; opulentam hæreditatem his demortuis aditurus, nisi alios succedere sibi hæredes vivos voluisset; inopes scilicet assem CONSTANTII abstulere. At hic insulam Perusinam paulò post tulit.

C 4

Quia

Quia verò geminis cæcis curatis oculos multorum Ethnicorum, M. Antonini ævo, aperuit; post crudeles verborum cruciatus in bulliente ab ignibus balneo plagas scilicet iubetur abluere. Verùm sub noctem illuc quoque de cælo lumen affulget, fideique lucem custodibus accendit. Iis auctoribus fugam capit, sed retractus, qui prius aquas, nunc in prunis ignem triumphat. Amissus proinde, sed tertium jam captus atrocissimè cæditur, mollissimè curatur ab Angelis, à tyranno denique capite plectitur. Funus ejus Cælites curarunt, cantuque tamdiu celebrarunt, dum Leucianus divino monitu eam curam in se reciperet. Id dum fit, & duo à fide alieni funus rident, oculos amittunt, dum lugent, recipiunt. Sed & aliis duobus pulsâ oculis nocte lux rediit, ut suum jam omnes in CONSTANTIO solem agnoscerent, qui diem oculis, ut luberet, vel auferret, vel ferret. *Ex Suario,*

*Si non vales pro Deo mortem subire, vales tamen vitam Deo placabilem ducere. Magnum quippe est mori pro Christo; sed non est inferius, vivere Christo. Non potes sanguinum fundere, potes temetipsum pœnitentia telo percutere, & in cordis contritione mactare. B. Pet. Dam. serm. 33.*

S. ALDEGVNDIS V. 30. Januarij.

**E**T si Numen amore omnes omninò animas depereat, fatendum tamen est, non rarò etiam illustres ceras apud homines quæsisse. Ita ADELGVNDEM è regia Gallorum stirpe oriundam vox cælo allapsa iussit uni Agno castum thalamum servare; palmâ interim & veste longè nitidissimâ arthæ loco datis. Ad id ipsum cum Angelus etiam Tutelarîs palam visus hortaretur, mater interim  
jam

jam telam in fundones nuptiales offerret, eâ Neophytos illa vestiit : mox à morte matris, concubiâ nocte, ad suas nuptias in eremum evolavit, castoque flammeo ab Amando Episcopo ( quem magno pòst coruscum splendore cælo inter Cælitates vidit subire ) involuta est. Cæterùm quo die nova nupta dotem suam, vel in templa vel pauperes dispersit, etiam has nuptias probaturum, Numen aquam bibenti in vinum vertit. Sed illa, ut pulchriorem se sponso suo probaret, multis precibus carcinoma, velut formæ pigmentum, a cælo extorsit. Vltimùm ægra cum è manu D. Petri manna gustasset, nauscavit abhinc omne, humanos cibos. Eò igitur à Cælitibus adventantibus, & inter hos augustissima cæli REGINA deducta est, ubi illis delitiis quotidie frueretur. *Ex Suriæ & Lippeloo.*

*Expergiscere ô homo & dignitatem tuam cognosce natura ; recordare te factum ad Imaginem Dei, utere quomodo utendum est visibilibus creaturis, & quidquid in eis pulchrum & mirabile est, refer ad laudem & gloriam Conditoris. S. Leo serm. 7. de Nat.*

## S. MARCELLA VIDVA. 31. Ianuarij.

**C**Horum in Ianuario claudat mulier, sed quæ virtute vitæque constantiâ certare & invidiam facere viris possit quamque sanctior Roma profanæ illi unicam contra omnes Heroides possit opponere. MARCELLA est Romani sanguinis, & patricii matrona, eodem anno, quo nupta, etiam vidua, exhorruit deinceps tam mortalibus nubere. Nec tamen mater non fuit. Certè filios multos numeravit, quamvis pauperes. In hos prodiga ex auro, & fortunis omnibus unum sibi reliquum

annulum fecit. Domo pedem aut nunquam, aut in templum extulit. Religiosæ vitæ viam suo in sexu princeps prævit Romanus; tam illustre exemplum innumerâ exinde multitudine sequente. Porrò precibus assiduè vacabat; visitu utebatur modesto admodum; corpus perquàm duriter habebat, tota in divinis commentandis. Irrumpentem, qui Romam obsederat, hostem, imperterrita domo suâ accepit, verberaque ac flagra Spartanâ tulit nobilitate, id unum sollicita, quæ virginis Principiæ, quam secum habebat, pudori consuleret. Is ubi extra periculum jam stetit, lubens ac volens, imò læta à militibus ad D. Pauli abduci se passa est. Ibi paucos post dies mortem, quam cæteroquin viri etiam horrent, femina risu excipit. Ex S. Hier.

*Quando te à lectione rerum spiritualium abhorere videris, admonitionesque spirituales fastidire, tum animam tuam in gravem morbum incidisse noveris. B. Ephrem t. 1. con. de vita spirituali.*

